



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 14. Quomodo explicetur illa regula Juris, in dubio non præsumitur
factum sed debet probari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

quòd amplecti debeat eam partem, in qua spectato excessu malitiæ ex una parte, & excessu certitudinis ex altera, apparet malitia minus esse imputabilis.

87 §. VI. Si perplexus nequeat discernere vel non audeat judicare; quid sit tutius vel melius, & tamen necesse sit hoc aut illud fieri, eligat & faciat, quod voluerit, necullo modo peccabit, defectu libertatis moralis, ita *Tamb.* in decal. l. 1. c. 3. §. 6. n. 4.

88 Q. 14. Quomodo explicetur illa regula juris, in dubio non præsumitur factum sed probari debet, L. in bello. §. facta, ff. de captivis postliminio reversis.

R. sic explicari, 1. Quando dubitatur de principali facto, v. g. an ego percusserim aliquem, hoc factum præsumi non debet, sed qui affirmat, debet positivè probare. 2. Quando dubitatur de homicidio tanquam actu principali facto, Jus, cap. significasti, & cap. ad audientiam, 2. de homicidio, statuit, ut in

89 ordine ad incurrendam irregularitatem præsumatur factum, è contrà in ordine ad alios effectus non præsumitur factum, sed manet regula generalis, quòd delicta non præsumantur 3. Si actus principalis sit certus, & dubitetur de aliquo tantùm accessorio, si hoc accessorium de jure faciendum erat, aut si ordinariè ita fieri solet, aut si ita factum esse est favorabile facienti, præsumitur illud accessorium factum, v. g. si quis scit se confessum peccatum, & postea dubitet, an feridò doluerit, præsumat se doluisse feridò, quia actus principalis, qui hic est confessio, est certus, & tantùm dubitatur de accessorio, quod adesse debebat, & ordinariè præmitti solet, sicque præsumi, quòd adfuerit, est favorabile confitendi.

90

91 4. Quando constat de actu externo rite peracto, v. g. de confessione, testamento, contractu, in dubio præsumuntur actus interni requisiti & sufficientes adfuisse,

fuisse, nisi accedat alia præsumptio in oppositum, ita
Spoer n. 73. *Stoz*. l. 1 p. 5. n. 30. Universaliter autem
 definitur præsumptio ab *Eliz*. l. 7. q. 16. §. 1. probabilis
 conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non
 adducto pro veritate habetur : vide dicenda l. 4.
 à n. 1434.

DUBIUM II.

92

*Quid agendum cum Conscientia speculative
 dubia.*

94: ad 268

Sunt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in
 in utramque partem probabiles, quæ reddunt
 hominem speculative dubium. Quæritur ergo hîc,
 an & quomodo ex talibus possit formari Consci-
 entia practicæ certa.

Respondeo. Absque peccato licet sequi opinio-
 nem probabilem, etiam alienam, & minùs tutam,
 (hoc est, quæ minùs remota videatur ab omni spe-
 cie peccati, quàm altera) relicta probabiliore & tu-
 tiore propriâ, seclusâ tamen omni injuriâ, & peri-
 culo proximi; & dummodo opinio, quæ eligitur,
 adhuc sit probabilis. Est communis Doctorum,
 quos citat & sequitur *Laym.* & *Bonac. t. 2. d. 2. q. 4 p.*
 9. Ratio est, tum quia qui sequitur sententiam gravi
 autoritate, vel non levis momenti ratione
 nixam (hæc enim dicitur probabilis :) non agit
 temerè, sed prudenter, sequendo nimirum viro-
 rum prudentum, & artis peritorum consilium :
 tum quia esset onus intolerabile, multisque scrupu-
 lis expositum, in omni re examinare, quid sit pro-
 babilius & tutius.

Dixi in responsione, *etiam alienam* : quia pa-
 rum refert, quòd opposita sententia ipsi operanti
 videatur probabilior speculative : speculativum
 enim

268 per
12: § pponit
12 ræs.

269

289

293.

375.